



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo  
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 1. Deum antè homines humiliare, quàm exaltat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

malum deducat; & mercedem ei damus, quia salubriter vulneravit. Iudas Christum osculatur, ut prodat, dederat enim hoc eis signum; quis non magis diligat more chirurgi vulnerantem, quam more Iudæ osculantem? Et tamen sæpe huic similes sunt laudatores; illi vituperatores nostri. Permittit igitur Deus hos ad emendationem, illos ad probationem: in utroque beneficus.

### C A P V T X I X.

*Deum non deesse innocentibus humiliatis, sed eos in tempore suo tanto gloriosius exaltare, idq; per varia miracula.*

#### §. I.

*Deum antè homines humiliare, quàm exaltat.*

**M**irabilis consolatio est innocentium talia in terris patientium, si Deum credant ubiq; semper præsentem & omnia providè gubernantem. Non enim tantum à fame sibi tales non timent; sed neque etiam ab infamia. Licet deprimantur à superioribus; licet iudicijs & calumnijs

B b

appe-

appetantur ab æqualibus; licet à toto populo infamentur; & nomen eorum sub hæstâ vendatur. Si enim eiusmodi iniurias scit videtq; patientiæ remunerator Deus, utique in bonum conuertet patientis. Quæ de causâ Regius psaltes talem alloquitur his

**Pfal. 36. 5.** *Revela Domino viam tuam, & spera in eo: & ipse faciet: & educet, quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum, tamquam meridiam.* Quod Deus cum sole agit ceterisq; astris, id etiam agit cum hominibus. Solem, Lunam, ceterasq; stellas finit occidere, & quodammodo tenebris sepeliri, ut cum decore maiore iucundiusq; orientur. Quinlùm primò conderet solem, voluit eum antè occidere, quàm oriri; quod ex illis ver-

**Gen. 1. 16.** *bis colligimus: Fecitq; Deus duo luminaria magna, luminare maius, ut præset diei: & luminare minus, ut præset nocti: & stellas. Et posuit eas in firmamento cali, ut lucerent super terram, & præset diei ac nocti, & dividerent lucem ac tenebras. Quibus subiungitur: Et factum est vespere & manè dies quartus. Si vespere priùs factum est, quàm manè, ergo sol priùs occubuit, quàm sit exortus. Ita & Christus priùs occidit, mortuus & sepultus, quàm corpore glorioso resurrexit.*

Quod

Quod ipse indicauit, cùm diceret: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit; ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Cecidit è cælo hoc granum in terram; absconditum diu, non solum in vtero Virginis, sed etiam postquam natum est. Quin & mori debuit, vt postea in tota terrarum, immò & cæli amplitudine nomen eius celebraretur. Sic seminat mortale, vt surgat immortale, is, quem Christus ipse dixit, *agricolam esse*, *Pa-* Ioan. 15. 2.  
*ter.* Sic & fullones, qui pannos aut vestes lauant, aut coloribus imbuunt; tingunt, vt educant mundatos, aut purpuratos, aut croco ebrios. An non tinxit Iosephum, donec faceret Ægypti Saluatorem? tinxit eius tunicam sanguine hœdi: tinxit illummet in cisternam demissum, tinxit coniectum in profundum carcerem. Tum demum eduxit Ægyptijs præficiendum. Nimirum *gloriam* Prou. 15. 33.  
*præcedit humilitas.* Qua de causa dicitur *alibi: Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe: & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines verò receptibiles, in camino humiliationis.* Humiliantur itaque & tinguuntur exaltandi, & *purpura coccoq; bis tin-* Exod. 25.  
*cto ornandi.* B b 2 §. II. 4.